

dam propositionem Evangelii absolutam , conditionate explicat , ergo est omnino falsa .

§. XI. Opinio nostri P. Ursayæ incognita fuit Augustino , qui alias de parvulorum sorte multa , & luculentissime scripsit ; sane in eo conspirant omnes Augustini sententiæ , nullam esse parvulis spem consequendæ salutis , præter Baptismum , aut Martyrium , nec unquam distinguit S. Doctor inter parvulos , qui in utero matris , & illos , qui extra matris uterum moriuntur . Quid ? si vera esset Ursayæ nostri opinio , dixissetne S. Augustinus lib. de dono perseverantiae c. 12. plerumque festinantibus parentibus , & paratis Ministris , ut parvulo Baptismus detur , Deo tamen nolente non datur ? (nolente : permissive , scilicet) . Tandem hoc remedium pro infantibus a Gersone , Biel , Caramuele , Cajetano , & Campanella excogitatum , & ab Ursaya nostro , in- integro libro de duplice statu Naturæ humanæ propugnatum , nec Scripturis , nec Traditioni , nec Patrum auctoritati inititur ; ergo novum est , & inauditum commentum . Falsum vero tum ex dictis , tum etiam quia si juxta Ursayam hoc novum remedium habet rationem Baptismi in voto : cum votum suscipientis esse debeat , non personæ extranæ : quis non videt , hoc remedium esse fictitium , & inane ?

S C H O L I O N

Agre prorsus contra Fratrem scriptissimus , sed amor veritatis , quam sancta , & vere pia Mater Ecclesia profitet nos ad scribendum coagit . Ne autem videamur , ipsum inauditum damnare , præcipua saltem ipsius argumenta audiamus . I. Adhibere hoc remedium nihil nocet , & multum juvat ; non est ergo negandum , præcipue cum tot animæ salvari possent , saltem probabiliter , alias certissime perirent .

Respondemus : Adhibere hoc remedium multum nocet , & nihil juvat , non est ergo admittendum . Quare multum nocet ? quia , semel admissa absurdâ interpretatione verborum J. C. nisi quis renatus fuerit , &c. ultro sequeretur (quod Calviniani contendunt) Baptismi Sacramentum , non esse necessarium necessitate medii ad æternam salutem consequendam .